ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΗ

De

FASCINO

PER

VISUM & VOCEM,

Qvod

Infinita Veritate ſecundante

In Alma Leucorea

Publicè ſed placidè diſſolvunt atqve explodunt

PRÆSES

M. JOHANNES PASCHIUS,

Raceburgo-Saxo

Nec non

Reſponſurus παραςάτης

JOACHIMUS CLINTH, VVismarienſ.

Habenda d. I. Octobris A. O. R. M DC LXXXIV.

In Acroaterio veteri, Hor. matut. conſvetis.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

Ὁ Θεὸς μεθ' ἡμῶν!

SEGMENTUM I. Terminos Diſqviſitioni noſtræ præfixos elucidat.

§. I

DUo inprimis ſunt Naturæ κειμήλια, qvæ hominem maxime commendant homini, *videre* ſcilicet & *audiri* poſſe; *Hoc* ſe inſinuat aliis, *illo* vicisſim alios conciliat ſibi, & ſicuti prius *Oculorum* ope, ita poſterius *Vocis* beneficio acqviritur. Qvis neſcit oculum eſſe omnium, qvæ modo cunqve animalium ſunt, *tenerrimum* (a) *artificioſisſimum, utilisſimum* (b) *& nobilisſimum* organon, ut ſine fuco vocari qveat, *Sol corporis, Imperator voluntatis, Doctor intellectus*. Nec minor *Humanæ Vocis* in organis & uſu ſpectatæ gloria eſt, qvam intimè percontari, *Divinum*; citra informatum corpus efformare, aliiqve articulate offerre, *Angelicum*; naturæ ductum imitari & modum loqvendi neſcire, *Humanum* ſit. Ut inde Raymundus *Lullus* non temerè inductus fuerit *Affatum* (ſicut *Scaliger* (c) *Titillationem*) pro ſexto habere ſenſu. Sit vero hæc Dei Conditoris potentia, naturæqve dignitas, qvanta eſſe posſit debeatve, *Satanas* tamen ejusqve malè ſanum ſatellitium Deo danti adverſus, homini posſidenti invidus in eo totus eſt, ut poſt dirutam imaginis divinæ arcem, hæc etiam duo ſocietatis humanæ propugnacula aut vi disjiciat, aut clanculum ſubvertat; hinc ſuſpicaciori & ſimpliciori hominum generi ita imponere ſtuduit, ut ſpecioſisſimas illas hominum dotes aut *deſidioſè negligat*, aut *ſuperciliosè erigat*, aut *ſuperſtitioſe ſuſpiciat*, aut *magica ſuſpicione deſpiciat*; ſed illa duo *moralis inſolentiæ, hæc naturalis impotentiæ* vitia eſſe qvis non advertit? Nam ſi qvis forte improviſus & inſolitus morbus ſeu nævus rebus recens natis aut factis contingat, cujus cauſam ſolerter indagare homines non ſufficiunt, protenus vel *ad invidioſum & noxium aſpectum*, vel *ad præcocem laudem* ſat imperite & improvidè confugiunt, qvaſi mortalium oculis per naturam atqve eſſentiam ſuam aliqvid inhæreat faſcini, voci humanæ aliqvid immiſceatur veneni. Cujus anilis erroris naturam & exiſtentiam cum inda-

daga-

(a) *Conf. Zach. II. 8.* (b) *V. Jo. Jac. Heinlin. Part. 1. Optic. c. 1. p. m. 712.* (c) *Exercit. 286. ſect. 3.*

dagere nobis conſtitutum ſit, *Inſcriptionis* rationem paucis habituri ſumus, ut ex *hædera* cognoſcatur *vendibile vinum*, ex *vexillo phalanx*, ex *ungve Leo*.

§. 2. Inſcribitur Διάσκεψις (*qvia diſcernimus falſum à vero*) Φυσιολογική (*qvia hæc Phyſicæ pars noſtræ tractationi locum cedit*) De *FASCINO per VISUM & VOCEM*. *Faſcini* nomen nonnullis derivari videtur 1.) à *fando*, (d) hinc Germani: Beſchreyen / verruffen / beruffen. 2.) Aliis à *faſce* & *faſcia*, *vel* qvod certis perficiantur ligaturis; *vel* qvod ligent, qvem lædunt; *vel* qvod incantator ſe obliget Dæmoni 3.) *Aliis* ἀπὸ τοῦ φάσκειν, qvod dictitare, gloriari, affirmare denotat, hinc dicebant Veteres, cum aliqvid ſincerè & citra invidiam ſe laudare ſignificabant: *qvod præfiſcinè vel præfiſcini* (qvaſi præ faſcino, Gut für die Zauberey) *dixerim*. 4.) *Aliis* ut *Cloatio Vero* (e) παρὰ τὸ βασκαίνειν, q. d. φάεσι *luminibus*, hoc eſt, oculis; καίνω, *occido*, faſcino; unde eſt *invidere*, q. d. non benevolè intueri hominis proſperam fortunam, adeoqve ipſius incrementum effaſcinare & cohibere, hinc Germani verſchieren. Qvæ originatio ut & proximè præcedens nobis non nihil favere videtur; agimus enim non de faſcino *præciſe*, nec de faſcino *qvovis magico & Diabolico*, *ſed de FASCINO per VISUM & VOCEM*.

§. 3. *Faſcinum* autem ὁμωνύμως conſideratum varias ſortitur acceptiones, denotat enim 1.) παχυλῶς *qvamcunqve noxam ab altero alteri ſine violenta læſione inductam* citra concurſum cauſæ ſublimioris. 2.) ἀκριβῶς *defluvium vaporis virulenti* è corpore noxio. 3.) Μεταφορικῶς *ligationem animarum*, ut Davidis atqve Jonathæ, (f.) aut *perſvaſionem oratoriam*, qva qvis Auditores in ſuam partem pro lubitu trahere verborumqve lenociniis flectere & faſcinare valet, qva de re *Lacedæmonii* Oratoribus urbe interdicebant. 4.) Μετονυμικῶς *ludificationem ſatanicam ſenſuum*, qva vel καθ' οὐσίαν, vel καθ' ἔμφασιν rebus naturalibus vel adhibitis vel remotis Diabolus θαυμάσια præſtat, ſenſibus aliqvid objicit, organa ſenſuum & media, per qvæ agunt, afficit & lædit, nonnunqvam vires animæ utpote Phantaſiam perturbat, adeoqve hominem ſanum & ſobrium effaſcinat (g) 5.) ἀκριβῶς *ejusmodi actionem magicam*, *qva vi fœderis cum Satana initi Deiqve indultu miri & captum peritiſſimorum ſuperantes effectus à Magis*

(d) *Conf. B. Conringium in Diſp. de Incant. circ. morb. effic. th. III.*
(e) *V. A. Gellius lib. XVI. cap. XII. p. m. 396.* (f.) *V. Helmontius in Ort. Medic. p. 614. 131.* (g) *Conf. B. Joh. Matth. Meyfartus Diſp. 1. de Mirac. th. 18.*

gis per media ſæpius nullius momenti producuntur ad Dei O. M. contemtum, oſtentationem aut hominum perniciem. (h) Neotericorum nonnulli φαρμακείαν, magiam, veneficium, ſorti legium, ἐπῳδὴν, γοητείαν, præſtigias, incantamentum &c. pro *Faſcino* accipiunt, licet interim non negent ſingulis hiſce appellationibus innui aliqvam actionum diverſitatem. (i)

§. 4. His præſuppoſitis largimur facile dari I.) *Faſcinum â Diabolo ad viſum & vocem ſymbolicè, non autem per viſum & vocem phyſicè.* II.) *Morbos â faſcino*, contra *Scharandæum*, (k) *Wierum* (l) qvales eſſe poſſunt: *Obſeſſio â Lamiis præſtita*; *Macies & atrophia â faſcino*; *Varii tumores*; *contractura*; *Motus ſpaſmodici*; *deliria melancholica*; *cæcitas â malleo*; *impotentia conjugalis*, â nodo in filo vel ligula facto, â clauſa ſera, ab inverſo in theca cultro, dum copulatio peragitur,* &c. Dari III.) *morbos occultos ex contagio & veneno*, qvi vel aſpectu vel afflatu excitati aſtantem & intuentem interimere poſſunt, qvales ſunt; *Peſtilentia*, *Elephantiaſis*, *Lues venerea*, *ſcabies*, *lippitudo*, *ſtupor â torpedine* in piſcatore, *noxa â baſiliſco*, ſerpente, bufone &c. Sic *Indica puella Alexandro M.* donata fuiſſe fertur, qvæ venenoſo aſpectu *Eundem* inficeret ac interficeret. Ille *Cambajæ Regis Filius* adeo venenoſus fuiſſe dicitur *J. C. Scaligero*, (m) ut muſcæ etiam, qvæ ejus cutem ſugerent, interierint. *B. Sennertus* (n) refert aliqvem repertum fuiſſe, qvi ſputo, qvos volebat, interficiebat. Hi tamen vel adſcititii vel naturales morbi aliqvem non effaſcinatum, ſed effluvio occulto venenatum reddunt. Dari IV.) *Morbos improviſos ab imaginatione*, per accidens enim & indirectè mediantibus animi affectibus motuqve ſpirituum & humorum phantaſia varias in corpus proprium ex viſu, auditu, olfactu &c. morbos inducere poteſt. (o) Sic motu humorum poſſunt fieri monſtra, obſtructiones & conſeqventer apoplexiæ, calculi, aſthmæ, dyſuria, cœcitas &c. ulcera & apoſtemata interna, deliqvia, vertigines (p). Sed omnia hæc & plura alia non *â faſcino ſenſuali*, ſed *â ſenſu externo internoqve* dependent.

(h) *V. Conringius c. l. th. VII.* (i) *V. Goedelm. in præfat. de Mag. Proſp. Farin. in pract. Criminal. lib. 1. tit. 3. qvæſt. 20.* (k) *l. de rat. conſ. ſan. c. 19. p. 147.* (l.) *l. de præſtig. Dæm. in præf. per tot.* * *V. Celeberr. Wedelius in de Morbis à Faſcino c. 1. p. 6. & ſeqq.* (m) *Exercit. 125. ſect. 1.* (n) *Med. Pract. lib. VI. part. IX. c. 1. p. 384.* (o) *V. B. Sperlingius in Diſp. de Viribus Imagin. th. XXXI.* (p) *V. Thom. Fienus de Virib. Imag. q. X. p. 91.*

§. 5. Inficiamur autem πὺξ καὶ λὰξ *dari ejuſmodi morbos, qvorum cauſa faſcinatio per nudum viſum meramqve laudem eſſe aut dici qveat*, qvæ gravidas fœmellas, infantulos, puſiones â naturæ benignitate pulchrè dotatos, Gallinarum pullos, eqvarum fœtus, vaccarum vitulos, lætiores ſegetes, plantas hortenſes ac ſylveſtres, cerevifiam ante aut in fermentatione, maſſam farinariam in mactra &c. effaſcinet, ut res illa recens nata vel facta in flore ſuo conſiſtere, aut in vigore pergere neqveat. Gaudemus vero nobis habuiſſe conſentientes maximi Nominis & ſummi judicii viros *B. Sennertum* (q) *Deuſingium*, (r) *J. A. Schmidium* (s) *H. Prætorium*, (t) *J. H. Alſtedium* (u) imò omnes cordatos Philoſophos, qvi rem ſine ira & partium ſtudio æſtimant.

SEGM. II. Falſæ Sententiæ argumenta enumerat.

§. 1. Qvam audacter nos veritate freti hanc fabulam ſpernimus, tam confidenter illi nugarum patroni eandem majori argumentorum numero qvam pondere ſtabiliunt, & in prima tanqvam acerrima coitione dimicaturi collocant Authoritatem.

I. SCRIPTURÆ; qvam paſſim utriusqve faſcini ſemina ſpargere contendunt. *Habuc.* I. 13. *Apoc.* I. 14. II. 18. XII. 12. *Gen.* XXX. 41. *Sap.* XI, 20. *Syr.* XXXI. 14. 15. *Matth.* VI 23. XX. 15. XVIII. 9. VII. 3. 5. *Pſalm.* LVIII. 6. *Galat.* III. 1. *Hiob.* XV. 5. XX. 16. *Pſal.* LII. 4. 5. *Prov.* XVIII. 21. *Jer.* IX. 3. 8. XVIII. 18. *Jacob.* III. 6.

II. PHILOSOPHORUM, ſic *Ariſtoletem* (x) qvæſiviſſe referunt: *Cur Ruta ſit βασκανίας φάρμακον*; ſtatuiſſe etiam ſpecula erumpentibus mulierum menſtruis conſpurcari & macularum ſqvalore velut ſitu obſita pollui (y) Pariter *Plutarchus* (z) ὀφθαλμὸν appellat φάβκανον; Amicis, Familiaribus & Parentibus *oculum faſcinantem* in eſſe refert, ut mulieres non oſtendant illis pueros, nec diutius ab illis eosdem inſpici ſinant; *Invidiam* exſerte faſcinationis cauſam appellat; deniqve opinatur nihil præter rationem aut fidem obtingere, ſi *conſpectu qvis noceat*. Huic ſuffragatur *Heliodorus*, (aa) qvi fundamentum in aere abſorpto, & affectui homi-

nis

(q) Med. Pract. lib. VI. part. IX. c. 1. p. 384. ſeqq. (r) in faſcic. Diſp. ſelect. (s) in Miſcell. Phyſ. faſcic. Diſp. VII. (t) in Diſp. de Modo & Rat. vid. qvæſt. 1. Concl. V. (u) in Encyclop. lib. XII. Pneum. part. III. c. IX. Reg. XI. p. 657. (x) Sect. XX. Probl. 34. p. 447. Edit. Caſaub. (y) de Inſomniis c. 11. lit. f. p. 426. (z) lib. 5. Sympoſ. c. 5. (aa) lib. III. Hiſt. Æthiop.

nis malignô conformato, inqve medullas proximi diffuſo ponit. *Cardanus* (bb) faſcinum omne, ſive ex metu, ſive ex alienis verbis, ſive à modo agendi, tractandi, percutiendi, attentius inſpiciendi oriatur, *ad imaginationem terroremqve* reducere videtur, dum infantes tetrico vetularum aſpectu & lucentibus felium oculis terreri, ac in epilepſiam incidere & mori concedit.

III. MEDICORUM *λόγῳ καὶ πείρᾳ* excellentisſimorum: *Hippocrates*, (cc) ipſis inter alia etiam oculorum faſcinationem propoſuiſſe videtur, qvando *ἅμα δὲ*, inqvit, *καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νόσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν χρή*, id eſt; *ſimul vero & ſi qvid divini in morbis ineſt, etiam hujus prænotionem ediſcere oportet*; Huic & aliis longo ordine ſubnectunt *Johannem Langium* (d) Lembergium, V. Palatinorum Electorum Archiatrum, qvi expreſſe docet, *mirum non eſſe homines viſu effaſcinari, lippitudinis contagione inficі, qvia Spiritus, faſcini vehicula confertim ad oculos confluant & in objecta evibrentur, maxime ſi ex impuro ſangvine procreati fuerint.* Paulo poſt addit: (ee) *Non oculos tantùm hujus execrandi mali organum eſſe, ſed & vocem & qvorundam hominum maledicam lingvam*, qvæ non corpus modo, ſed animam qvoqve inqvinet. Huc pertinet *Hieronymi Fracaſtorii* (ff) *Veronenſis* phantaſia, qvæ intenta faſcinum inferre putatur ab illis potisſimum, qvorum humores & ſpiritus â natura viſi objecti adeo remoti ſunt, ut penè venena evadant, hi igitur intenſisſimè aliqvem concepto odio intuentes ex oculis & ex tota facie Spiritus qvosdam ejaculantur, qvi ad teneros infantis ſpiritus appliciti eos uti venena ſenſim abſumunt. Laudando autem maximè induci faſcinum docet idem ibidem. *Cornelius Agrippa* (gg) illos apud Doctos malè audire cenſet, qvi faſcinum rident, & aniles exiſtimant eſſe nugas.

IV. HISTORICORUM, qvales ſunt 1.) *Ælianus* (hh), qvi de *Charadria* avicula (Latinis nunc Galgulo dicta) recenſet, illā icterici hominis croceos bilis vapores protenus attrahere, bilisqve acrimoniam adeo vereri, ut faſcino qvaſi perculſa caput ſub alis recondat, hinc ſub velamine vendi ſolebat, ne licitator antè remedii particeps fieret, qvàm coemiſſet, qvorſum ſpectat adagium: *Charadrii æmu-*

lus

(bb) *lib. 1. de Venen. c. 17.* (cc) *l. προγνωστικῶν c. 1. t. 14.* (dd) *in Epiſt. Medicinal. lib. 11. Epiſt. 36. p. 727.* (ee) *p. 728.* (ff) *Lib. de Symp. & Antip. c. XXIII. p. 700.* (gg) *T. 1. Operum. Diſp. de Faſcinationibus pag. m. 531. ſeqq.* (hh) *l. 17. c. 13. l. 1. de Hiſt. Anim. c. 35.*

lus, qvi rem videlicet utilem celat. 2.) *Plinius* (ii) teſtis eſt, *κατωβλέπας* Lybicos itemqve baſiliſcos viſoriæ ἀκτῖνος venenatæ excurſu officere & interficere. 3.) *Iſigonus* & ex eo *Plinius*, (kk) ex hoc vero *A. Gellius* (ll) tradunt eſſe in *Triballis* & *Illyriis* homines, qvi videndo illos interimant, qvos diutius irati viderint; habent vero hi ſive mares ſive fœminæ pupillas in ſingulis oculis binas. Ejusdem farinæ mulieres in Scythia ali, qvæ *Bithiæ*; in Ponto, qvæ *Thibiæ* dicantur, ajunt *Apollonides*, & *Philarchus*; qvarum notæ, qvod in altero oculo geminam pupillam, in altero eqvi effigiem gerant, veſteqve degravatæ ſubmergi neqveant. Hic *bene nota* ſuperſtitionis noſtræ ortum, qvando ex Virunculis in alterius oculis non apparentibus aut abundantibus, nec non per hydromantiam ex aqva frigida Veneficum aut ſtrigem judicare velimus. *A. Gellius* (mm) in *Plinio II.* ſe legiſſe memorat eſſe qvasdam in terra Africa hominum familias voce & lingva effaſcinantium, qvi ſi impenſius fortè laudaverint pulchras arbores, lætiores ſegetes, infantes amœniores, egregios eqvos, pecudes partu atqve cultu opimas, emoriantur repentè, nulli alii cauſæ obnoxia.

V. POETARUM, qvi eandem ſententiam contra nos fovere & viſuale ac orale faſcinum adſtruere creduntur, nempe *Theocritus*, (nn) *Virgilius*, (oo) *Horatius* (pp) *Ovidius* (qq) *Hieronymus Vida*, (rr) *Gregor. Nazianzenus*. (ss) *Medea Euripidis* apud Stobæum. (tt)

§. 2. Ne *Rationibus* & naturæ principiis deſtitui videantur Antagoniſtæ, plura adducunt demonſtrationis κϱιτήϱια, qvam opus & par erat. I. Ratio ipſis deſumitur *à natura oculorum*, qvos tanta ſpirituum, fulgoris & vaporis copia ſcatere dicunt, qvantâ ne ullum humani corporis organon. II. *ab innato lumine ſive igni*, de qvo *Plato* dixit, qvod ex noſtris oculis (qvos φωσφόρα ὄμματα dicit) iſte tenuior ignis, qvi igni externo illuminanti germanus eſt, emanet, hic ſi cum externo & diurno lumine aut igni coæterno illuminante conjunctus aliud objectum tengat aut ab alio tangatur, diffunditur iſte motus ad animum & corpus, diciturqve *Viſus*. Tale lumen in ocu-

(ii) *lib. VII. c. 71.* (kk) *lib. VII. c. 2.* (ll) *L. IX. c. IV. p. m. 210.* (mm) *l. c.* (nn) *Eidyll. VI. v. 39.* (oo) *Bucol. Eclog. III. v. 103. Eclog. IX. v. 54. Ecl. VII. v. 27. 28.* (qq) *lib. 11. de Rem. Amor. diſt. 169. ſeq. lib. VII. Metamorph. fab. V. v. 69. ſeq.* (rr) *lib. 11. Bombyc.* (ss) *Cit. Langio Epiſt. Medic. 36, p. 728.* (tt) *Serm. XXXVI. de Garrulit. p. 217.*

oculis dari probant 1.) illi homines, qvi vi luminis illius copioſioris potuerunt mira concinnare artificia, *ut Callicrates* & *Myrmecides*; (uu) videre minutisſima & abſtruſisſima, ut *Cardanus*; (xx) noctu & in tenebris videre, ſed ad breve; ut *Tiberius Cæſar*, (yy) Ad Solis radios erigere oculos, ut *Jul. Cæſ. Scaliger*; Aliorum oculos ſuo fulgore perſtringere, qvod plurimi Magnatum poſſunt. 2.) Igniculi, qvi ex ſtrictis aut verberatis oculis tanqvam ſtricturæ proſiliunt. 3.) Qvia lumen pro varietate affectuum in ipſa oculorum ſuperficie ita variat, ut in hilaritate gratum ſpirent fulgorem, in triſtitia tarde moveantur, in metu torqveantur & cito agitentur, in ira igneum vigorem habeant. III. *ab emisſione radiorum*, qvam â *Platonicis*, *Galeniſtis* & *Stoicis* probatam accipiunt, qvo conceſſo principio facillime declarare ſatagunt, qvomodo invidorum radii occidant, ex mutuo aſpectu amor inter amantes concitari posſit, mulieres menſtruatæ limpidisſima ſpecula contaminent, lippientes aliorum ſanioribus oculis lippitudinem imprimant, eoqve ſic qvodvis faſcini ocularis genus ſtatuminant. Orale Faſcinum ſic probant, qvod laus lætitiam in corde pariat, lætitia autem dilatationem cordis, faciei & præcipuè oculorum, unde aditus qvodammodo aperitur veneno, qvod â faſcinatore evibratur. Producunt porro Orationis vim ad movendos & flectendos hominum animos, nec non Muſicam gratiam; qva homines ad choreas & tripudia, ad iram & triſtitiam, ad miſericordiam & fortitudinem concitari nullo negotio posſint, hoſce vero animi affectus magnam præ ſe ferre vim alterandi corpora ajunt, & ſic hactenus ratione pugnatum.

§. 3. Deniqve ad Stultorum Magiſtram, *Experientiam* dico, confugiunt & prolixo catalogo referunt *exempla*, *facta*, *dicta*, qvæ luculenter probent, qvod *Viſus* & *Vox* ὀφθαλμοφανερῶς effaſcinent; Sciunt enim homines pancraticè viventes ex aſpectu ſuſpecto ſtatim in morbos incidiſſe; *Extrema linea i. e. viſu amantes* γλυκυπίκρῳ tanqvam tabe fuiſſe confectos; *puerperas in ſuis purificationis diebus* homicidam audientes aut intuentes malè ſe habuiſſe; *pueros* viſos aut laudatos penitus conſumtos eſſe; *marmora* â qvibusdam fixè aſpecta fuiſſe diſrupta; *Nonnullos* ex immatura laude degeneraſſe tam naturaliter qvam moraliter; *Abſentes* ex tinnitu aurium & puſtulis lingvalibus præſentire benignos malignosqve de ſe ſermones cadi; Licitatorem rei præ amore non vendibilis rem illam protenus perdere referunt, Qvæ tamen mala nec natura nec medica ars, ſed

 vetu-

(uu) V. Gaſp. Scott. Phyſ. Curioſ. lib. III. c. XXXIII. p. 564. (xx) lib. VIII. de Varietat. c. 43. (yy) [illegible]

vetularum & veneficorum cantus atqve ſuffitus (Segen und Böten) curare tantùm ſufficiunt. Hinc olim & hodie in uſu eſt, alteri avidè comedentem intuenti partem cibi cum hoc alloqvio porrigere: *Hem! cape & ede, ἵνα μὴ βασκάνῃς με.* Pariter laudi ſubjungere ſolent *Græci* ἀβασκάντως; *Latini*, præfiſcini dixero, Germ. Gott behüte es. Niſi lædere intendas, aut audire malis: Wens dein grosses Maul und böses Auge nicht thäte / wäre es noch eins so schön. Sed qvid de illis dicendum, qvi, ut poſteritatis memoriæ traditum eſt, ſeipſos effaſcinarunt, ſic cum *Eutelidas* in ambitioſo flumine ſe conſpexiſſet, ipſe ſibi hanc faſcini perniciem conſcivit, ut confeſtim inevitabilem contraheret noxam. Conf. Ovidii *Narciſſum*. Hoc ut caverent, *ter in ſinum exſpuebant.* **

SEGM. III. Hypotheſes ad veritatem præparat, faſcinantium Oculos excœcat & laudantium ori benedicit.

§. 1. Vulgo qvidem in peripato (zz) auditur, πρὸς τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχὰς οὐκ ἔστι λόγος, i. e. *contra Negantem principia non eſt diſputandum.* Hoc ſane Effatum ſi Oraculum Delphicum eſſet, temere conflictum ſuſtineremus, fruſtra palmam exſpectaremus, qvia è diverſis nobiſcum diſputant principiis *adverſarii.* Sed qvoniam principia alia *eſſendi*, alia *cognoſcendi* ſunt, hæc iterum vel *prima* ſive *axiomata* communisſima; vel *orta* ſive certæ ſcientiæ propria, omninò diſputandum eſſe cum illo duco, *qvi negat eſſendi & orta cognoſcendi principia*, ſunt enim θέσεως καὶ ὑποθέσεως κριτήρια, qvæ à variis diverſimodè ſupponi poſſunt; Sic cum *Cartheſiano*, *Hobbeſiano*, *Gaſſendiano*, *Helmontiano*, *Spagyrico &c.* Andabatarum more pugnabis, niſi de principiis in principio placidè conventum fuerit. Ne itaqve eſt nos πρῶτον ψεῦδος fallat, III. adornabimus *Hypotheſes*, à qvibus aut firmiter ſtandum, aut turpiter cadendum erit.

Hypoth. I. Viſio non ſit κατ' ἐκπομπὴν (emisſive) ſed κατ' εἰσβολὴν (immisſivè.)

§. 1. Subtilis ac jucunda eſt Viſionis inqviſitio *Scaligero* (aaa) teſte, *ſubtilis* propter controverſias, *jucunda* propter nobilitatem; Cum vero nobis ex hoc Cornu copiæ non ſacco ſed manu ferendum ſit, pauca parcè hinc conſtruemus *hypomnemata*: Eſt autem *VISUS ſ. actus Videndi potentia receptiva colorum recipiendo eorum ſpecies* per

** *V. Theocr. Eidyll. VI. v. 39.* (zz) *Ariſtot. lib. 1. Φυσικ. ἀκροάσ. c. 2.*
(aaa) *Exerc. 298. ſ. 16.*

per perſpicuum illuminatum interventu oculi ſine materia. VISIO autem ſive modus videndi â nobis determinatur fieri *non per emisſionem radiorum* ut *Plato*, *Ptolemæus*, *Aphrodiſæus* (bbb) *Seneca*, (ccc) *Euclides* (ddd) *Galenus* contenderunt; *Nec per mentis ſimplicem intuitum*, ac ſi intellectus per lucidas oculi membranas tanqvam per claras vitro lucente feneſtras ea, qvæ foris ſunt, tranſpiceret, ut voluit *Lactantius*, (eee) *Plinius* (fff). *Nec in ſuperficie Oculi*, ut *Democritus* (ggg). *Nec extra organum*, utpote in objecto, aut in medio &c. *Sed per ſpecierum viſibilium receptionem*, qvarum *non materiale ſubjectum*, *ſed immateriale idolum* â puncto viſibili per medium translucens in oculi *non humorem cryſtallinum*, *ſed tunicam reticularem* in parte oculi poſtica conſtitutam pertingit. Secus qvi ſenſerit, ille forte vera cognitionis principia: *Senſum* ſc. *Experientiam* & *Rationem* in calcaneo geret, abſurditatem pro veritate, oculi fabricam pro fumigante camino, radium pro jaculo ſat ἀτόπως venditabit.

Dicis cum *Veccio* (hhh) & *Galeno*, (iii) ad *Platonicos* & *Peripateticos* conciliandos, qvod viſio fiat κατὰ τὸ εἰσιέναι καὶ ἐξιέναι ſimul; ſive cum *Pythagora* καὶ ἀνάκλασιν & mutuam reflexionem. *Reſp.* Viſio noſtra una eſt, qvia unicuiqve ſenſui unus ſenſationis modus competit, & ſicuti viſio ſimpliciter & extra comparationem in receptione conſiſtit, nec emisſione indiget, ita viſio reſpective & in comparatione ſpectata pari ſimplicitatis modo perficitur. (kkk)

Dicis: Multa tamen ab Oculo emitti dicuntur; Ergo datur radiorum ἐξαποστολή. *Reſp.* Dubitatio hæc Elenchum ignorat; non enim negamus aliqvod vel vaporis, vel ſplendoris, vel luminis vel humoris emitti, ſed inde non ſeqvitur viſionem κατὰ τὸ ἐξιέναι fieri, qvia ſic per δακρύματα lachrymantis aut meracius combibentis viſio fieret, cum tamen oculi per eadem turbentur verius.

Dicis: Per ſpeciei Immisſionem labefactari Opticorum doctrinam, qvippe qvæ radios viſivos loco fundamenti ponit. Reſp. Invertimus potius argumentum, nam optica inde magis ſtabilitur,

 ipſi

(bbb) *lib. 1. probl. q. 75.* (ccc) *lib. 1. N. qvæſt.* (ddd) *in Perſp. Macrob. 7. ſaturn. c. 14.* (eee) *Lib. de Opif. D. c. 8.* (fff) *L. XI. c. 37.* (ggg) *Cui contradicit Zabarella. lib. 2. de Viſ. c. 4.* (hhh) *l. com. anat. c. 24.* (iii) *l. 7. de plac. Hipp. & Plat. L. 10. de uſu part.* (kkk) *V. Scalig. Exerc. 80. ſ. 8.*

ipſi enim perinde eſt, ſive radii viſivi ab oculo deducantur, ſive ex re viſiva ad oculum egrediantur. Imo illi ſunt veri Optici, qvi radiaturam ſeu ſpeciem ê corpore diffundi & usqve ad ſenſorium deduci ſtatuunt, ſi qvidem omne corpus ſecundum ὀρθογωνίȣ κώνȣ formam radiat. (lll)

Dicis: Oculus videt per receptionem, videtur per emiſſionem; Ergo emittat radios, oportet. Reſp. concedimus emitti radium viſivum *ex oculo, non qva ſenſus eſt, ut videat*, ſed *qva corpus eſt, ut videatur*; hoc pacto etiam oculus extra loculum ſuum videtur, ſed neutiqvam videt, niſi hominem mortuum viſu actuali gaudere velis.

Hypoth. II. Radius viſivus eſt ſpecies aut ſimulacrum rei viſibilis per medium διαφανὲς ſine permixtione & confuſione tranſiens.

Noſtris Antagoniſtis *radius opticus* eſt *vis naturalis ab oculo emanans ad objectum viſibile*; nec non *corpus aut mediæ naturæ ſubſtantia* inter corpus & ſpiritum; item, *Viſcoſus aut contagioſus halitus*, qvi ab eo, qvod attingit, affici creditur. Verùm hæc omnia pugnant cum principiis *Phyſicorum* & placitis *Opticorum*, *illi* enim ſupponunt ex oculo ad viſionem nihil effluere, qvod etiam *diſtantia rei diſſitæ*, e. g. ſtellarum fixarum; *oculorum teneritudo*, *impoſſibilis dimenſionum penetratio & contraria obſervatio* prohibent. *Hi* dicunt radium viſivum eſſe accidens prædicamenti relationis, qvia indiget ſubjecto inhærentiæ nempe corpore perſpicuo. Cui tamen non obſtat radium *Albazeno* (mmm) & *Vitellioni* (nnn) dici lineam phyſicam, qvia enim oculos opticè afficit, corporisqve imago eſt, neceſſe eſt, ut habeat corporeæ formæ actum, ita tamen ut in lineæ illius Phyſicæ medio mente concipienda ſit *linea Geometrica*, cui reliqvæ omnes lineæ itidem Geometricæ ſint parallelæ. Docent pariter totum medium ſemper radiis viſibilibus eſſe completum, ſed ſine radiorum permiſtione, ne viſio diſtinctè fieri deſinat; qvod declarant complures candelæ ê regione unius corporis opaci poſitæ, qvarum qvælibet umbram ſui ab altera parte ἀσυγχύτως ſparget prodetqve.

Hypoth. III. Oculus eſt temperanti aqvei, non naturæ igneæ.

Ratio præcipua hæc eſt, qvia aqveum corpus imagines rerum viſibilium facilius recipere & diutius ſervare poteſt, qvam igneum.

Præ-

(lll) *Conf. Horſt. lib. 2. de An. Ex. 6. qv. 8.* (*mmm*) *lib. 16. probl. 4.* (*nnn*) *lib. 3. theor. 2.*

Praxis deinde Anatomica docet Oculum in pleriſqve ſui partibus humidum & aqveum eſſe. Nec *Platonici* ac *Galenus* contrarium evincunt ex fulgore, qvem oculi hominum *χαρώπων*, catorum, luporum, Leonum, noctuarum, bubonum, Veſpertiliorum & reliqvorum animalium, qvæ Philoſophus *τὰ νυκτερόβια* appellat, emittere dicuntur, hic enim fulgor eſt *partim* ex *humore cryſtallino & Optico ſpiritu perqvam puro ac ſubtili*, qvi in tenebris conſpicitur, non item interdiu; qvia lumen majus obſcurat minus; *partim ex fortiori impreſſione*, qvæ dependet à vi virtutis imaginatricis, qvod *Cardanus* de ſe fatetur ipſe; partim *ex acriori olfactu*, qvo feles capiunt mures. *Stat itaqve inconcuſſo talo nec oculnm, nec viſum, nec viſionem qvicqvam mali magici ſecum per naturam portare.*

§. 2. De *Voce* itidem pauca trademus *themata*: VOX *B. Sperlingio* (ooo) eſt *ſonus animalis reſpirantis, pulmonum, aſperæ arteriæ & gutturis operâ formatus & ore prolatus.* SERMO eſt *vox articulata, cujus verba referunt conceptus, hi vero rerum receſſus.* Vox itaqve in organis formata non fit *ab*, nec *ex*, ſed *in* aere, & fertur *p r* aerem externum ad aerem innatum auris, qvem commovens potentiam audiendi ſuſcitat, ut ſoni ſpecies percipiatur. *Male* itaqve *nonnemo Vocem* pro flatu ventoſo cavernoſi pectoris habet; *Pejus Bellarminus* (ppp) & cum ipſo καθ᾽ ὅ λύκοι Romanenſes verbis vim practicam tribuunt, ac ſi revera efficiant id, qvod Magi & incantatores ſibi aut aliis efficere videntur; cum verba non ſint naturales potentiæ, ſed duntaxat notæ & indices conceptuum, non à φύσει, ſed à θέσει exortæ, & ab intelligenti creaturâ impoſitæ. (qqq) *Peſſimè* noſtri adverſarii agunt, qvi vocem ſecum vehere faſcinum volunt, ac ſi cum bucca aeris ſaccum veneni qvis evomere poſſet. Nam unde, amabo, faſcinum in voce? aut illud eſſet *ab organis*, qvæ tamen ſuppono eſſe ſana, aut *ab aere*, qvi hoc pacto & faſcinantem & faſcinandum infeſtaret; aut *ab ipſa voce*, qvæ eſt *ſonus*, *hic* verò *nô per ſe, ſed per accidens ex parte effectus ad animos hominû alterandos facit*, nunc enim dilatat ſpiritus corporis ad lætitiam, nunc ingratus coarctat ad mœſtitiam, qvodlibet vero horum ſine faſcino, cauſam enim adhuc in natura admittunt.

§. 3. His ad hunc tenorem præſuppoſitis, *Originem* tanti erroris

(ooo) *Inſtit. Phyſ. lib. IV. c. 11. qv. 8. p. 644.* (ppp) *Tom. 3 lib. 1. de Sacram. c. 16. 20. It. L. IV. de Evchar. c. 13.* (qqq) *V. B. Meiſn. in Phil. Sobr. P. 11. ſect. 11. c. 11. qv. 1. p. m. 584. & ſeq.*

ſoris tribus indigitabimus. Cum vulgus aut malè aut nihil informatum divinare non potuerit, qvî fiat, qvod e. g. proles recens nata maximè ſana & pulchra ſubito ſæpe in morbum incidat &c. illicò cauſam retulit ad laudem præmaturam, torvum aut amicum aſpectum Inopinati Hoſpitis, qvem de ſincera integritate famæ & vitæ ſuſpectum habuit. Cum potius hæc repentina mutatio ideo accidat, qvia Ευεξία, qvæ ad ἀκμὴν pervenit, periculo plena eſt, eoqve illi, qvi nitidiores ſunt, bona ſua caduca habere debent; ſic *ſcintillula* mox exſpirabit, qvando lucidisſima; *pomum* decidet, qvando ante nitidisſimum fuit; *homo ægrotus* diſcedet, ſi ſubriſerit, & ſe optimè conſtitutum ſimulaverit. — *Faſcinum* ergo hic nihil ad qvadram!

§. 4. Qvod vero ſpeciatim *argumenta contraria* attinet, & qvidem I.) *Scripturæ* loca, illa gratis adducuntur, qvia Elenchum *ignorant*, genus prædicationis *immutant*, tropicum loqvendi modum in proprium ἀνακολέτως *convertunt*. Sed qvia explicatio ſingulolorum horum dictorum ad *forum Theologicum* ſpectat, ex merito iis explicandis & diducendis ſuperſedemus, cum id noſtri muneris non ſit. II. *Ariſtoteles* in *problematibus* ſæpè ἐξωτερικῶς καὶ ἱστορικῶς ἢ ἐξ ἐνδόξων loqvitur. *Ruta* non faſcini accuratè dicti, ſed veneni adſcititii cauſa conſumptiva eſt ob vim calefaciendi adſtrictam. *Fæmina menſtruata* nō per faſcinum, ſed per tranſpirationem ſenſibilem & inſenſibilem non tam ex oculis qvā cœteris poris ſenſuumq; meatibus ἀπορροίας & corrupta effluvia efflat. *Plutarchus* opinionem vulgi refert, non ut approbet, ſed ut recenſeat; Neqve *Plutarchus* in omnibus ἀξιόπιστος eſt, *Stoicos* enim ſectatus aliena principia fovet, de qvibus ſupra diſputatum. *Heliodorus* Elenchum non cauſæ ut cauſæ committit, ac effluvia occulta pro faſcino præter rem accipit. *Cardanus* itidem faſcinum impropriè pro vaporibus noxiis, qvî qvocunqve modo ex corpore exſpirant, intelligit; fallunt itaqve & falluntur pleriqve ὁμωνυμίᾳ καὶ σχήματι τῆς λέξεως.

III. *Hippocratem* ψευδερμηνείᾳ ſeu crimine falſi obſcurant; per τὸ θεῖον enim intelligi *morbos à faſcino* tam repugnat *pietati divini ſenis*, qvi faſcinum vocare θεῖον ἄθεον eſſe ſcivit; qvam *textui allegato*, qvi illud θεῖον ἐν νόσοισι vocat, ſi 1.) *citra regulam προγνώσεως Medicæ qvippiam eveniat* 2.) *plures eodem indifferenter corripiantur morbo.* 3.) *Omina qvædam in morbis obtingant.* Hæc & talia ex mente *Hippocratis* ad divinum in morbis referri debent, *ubi vero faſci-*

num?

num? *Langius* ſtatum controverſiæ neſcit, ac terminis ludit, nobis enim aliud eſt *effluvium contagioſum*, qvod â morbo; aliud *venenum*, qvod ab arte aut natura malignâ; aliud *faſcinum*, qvod principaliter â Diabolo proficiſcitur. *Fracaſtario* idem reſpondemus. *Agrippa* fabularum interpollator probet ſua narrata â ſola natura proveniſſe ſine alterius explicito aut implicito concurſu, ſympathetica aut antipathetica qvalitate, tunc vinctas manus dabimus. Alibi (rrr) ipſe fatetur ligationes & faſcinationes fieri per *veneficia*.

IV. *Hiſtoricos* & *Poetas* qvod attinet, hi ſæpe falſa & ſuperſtitioſa æſtimio ſenſus ſeducti, ſtyloqve oratorio inducti ſubornant; Si qvid vero acciderit, id *vel ab occulta qvalitate* ἰδιοσυγκρασίας aut ἀντιπαθείας; *vel ab incantatione* & veneficio provenit, non autem â viſu & laude ſimpliciter.

§. 5. Deinde ſecus ſentientes *Rationes* ſine ratione adducunt, & faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant; nam 1.) *â copia ſpirituum ocularium ad viſualem faſcinationem* N. eſt C. Sic lippiens lipientem inficit, oſcitans oſcitantem afficit, non per faſcinum, ſed per contactum exhalationum aut impresſionum. 2.) *Lumen innatum, ſi qvod eſt, tenuisſimum eſt*, qvod nec omne objectum viſibile tangere, nec lædere ſufficit. 3.) *Emisſio radiorum ſupra in hypotheſibus fuit fracta & exploſa.* *Ratio* pro *vocali faſcinatione* prorſus nulla eſt, cum nec omni objecto faſcinabili nocere qveat, res enim inanimatæ audire neqveunt, fœtus recens nati nullum animi Affectum concipiunt, perſonæ abſentes laudem & lingvam non perſentiſcunt, unde igitur faſcinum? Deinde vox qvidem *metaphoricè* hominum animos movet, ſed non effaſcinat. Sic qvoqve Lingva per *Metonymiam effecti pro cauſa*, *Bia*, (sss) *Anacharſi* (ttt) *Æſopo* (uuu) audiat, πᾶν ὅ, τι χρηστότατόν τε καὶ βέλτιστον, ſi eâ recte utaris; πᾶν ὅ, τι φαυλότατόν τι καὶ χείριστον, ſi ea abutaris.

§. 6. *Experientia* ſine conſeqventia adducitur, cum non valeat, *hoc fit poſt hoc, ergo fit propter hoc*, ſimiliter enim concluderem in re plane abſurda tali; *Petrus hactenus recte ambulavit, ſed poſtqvam â Paulo ſano fuit conſpectus, pedem in plano fregit, aut lethali morbo tactus fuit*; Cum tamen hujus mali aliæ eæqve veriores cauſæ dari potuiſſent. De cætero pleraqve experimenta, qvæ faſcinum adſtipula-

(rrr) *Tom. 1. Op. de Occult. Ph. c. XL. p. 55.* (sss) *ap. Plutarch. in Conviv. S. S. T. 11. p. 146.* (ttt) *ap. Diog. Laert. L. 1. c. 9.* (uuu) *V. Maximus Planudes in Vita Æſopi p. 38.*

pulari videntur, vel *ficta*, vel *arte & ope Diaboli facta*, vel *permiſſu Dei conceſſa*, vel *â morbo contagioſo lædentis, vel â conſternatione & imaginatione læſi profecta fuiſſe haut* inficiamur. *Sibilos iſtos & ſtrepitus aurium* â vaporibus hinc inde agitatis excitari ſtatuimus,(xxx) qvi tympanum in prima auris cavitate ſitum feriunt, & qvo ſubtiliores vel craſſiores iſti vapores, eò etiam acutiores vel hebetiores redduntur ſoni. (yyy) *Puſtulæ lingvam* urunt ob aduſtum calorem ventriculi & Oeſophagi. *Emptor* non perdit rem deſideratam, ſed vel *Deus*, qvi rei caducæ amorem hoc ipſo exſtingvere cupit, vel *res amata ex ſua morbi cauſa intercidit. Comeſtor* alteri vel *modeſtiæ cauſa* fruſtum cibi porrigit; *qvia non bonus eſt ſocius, qvi comedit omnia ſolus; vel appetitus naturalis ſedandi ergo*, ne humiditate ſalivali ob rem naturaliter appetibilem alter in caſſum angatur. (Damit ihm das Maul nicht wäſſere) Superſtitioſe ter in gremium inſpuit *Damœtas*, qvod ipſum anus *Cottyttaris* docuerat, ſicut ipſe hoc fatetur. *Eutelidas* ex φιλαυτία immoderata contabuit. *Narciſſus* Ovidianus eſt ens rationis; & licet omnino ſit dabilis caſus, ut ex ambitione aliqvis ſeipſum deperire poſſit, qvid illud ad nos?

§. 7. Sic noſtrum graphicè delineavimus judicium de inveterata illa & gentili faſcinationis viſualis ſuperſtitione, qvod ſalvo aliorum meliori judicio tamdiu ſartum ſervabimus, donec meliora edocti mentem mutare jubemur. *Interea temporis arbitramur injuriam non levem illi impingi, cui re nova inſpicienda aut laudanda immodeſte interdicitur, aut enim illum pro venefico* (ergo Diaboli mancipio) *aut pro rei alienæ deſideratiſſimæ invido* (ergo fure) *aut ægroto* (ergo inutili) *aut curioſo* (ergo levi & temerario) *homine habebis*; En ἀδίκημα, ἁμάρτημα καὶ ἀτύχημα in optima juris forma commiſſum! Chriſtianus itaqve homo, qvi prudentiæ & modeſtiæ litat, hic ſtylum corrigat, & neqve viſui neqve voci mali qvid præter neceſſitatem affingat, ni *bilem* ob injuriam, *riſum* ob προπέτειαν, *contemptum* ob ignorantiam ſibi conciliare velit. *Deus T. O. M. regnum Satanæ interea deſtruat, hominumqve fidem inſtruat, ut Videant & Laudent Eum ſine*

FINE BEATI.

(*xxx*) *V. Teichmann. Decur. II. Qvæſt. Phyſ. q. X.* (*yyy*) *Conf. Scholam Salernit. de Conſerv. Valetud. c. 77. p. 101.* Qvæ & has cauſas ſubdit: *Motus, longa fames, vomitus percuſſio, caſus; Ebrietas, frigus tinnitum cauſat in aure.* (*zzz*) *Theocr. l. c. v. 40.*